



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 60. Persecutio Christianorum in Arabia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

§. LX.

Sæculum VI.

A. C. 523.

Persecutio Christianorum in Arabia.

Acta S. Aretæ 24. Oct.

Sur. spec. hist. Arab.

Poc. p. 62.

v. Bibl. Orient. Jahoud p. 475.

Theoph. p. 144.

Niceph. XVII. c. 6.

Haud modicus Christianorum numerus in Regione *Hemiar* Arabiæ Felicis Parte reperiebatur. Hujus terræ Incolas Græci *Homerites* dicebant. Illa vero tempestate Regem habebant *Judæum*, cui nomen *Joseph Dounouas* seu *Dunaan*, Christianorum hostem infensissimum. Huic etiam cognomentum, *Fossarum Auctor*, hæsit, quod in foveas ignitas conjici juberet omnes, qui perfidam Judæorum obstinationem profiteri nollent. Anno quinto Justinianempe 522. *Dounouas* urbem *Negram*, seu *Nageran*, cujus Cives omnes Christiani erant, obsidione cinxit; cum vero obsessos ad deditionem vi compellere non posset, perjuriam cumulatam positis quibusdam conditionibus & pactis urbem intravit. Tunc ad pervertendos incolas animum adjecit, & tandem expertus, quod operam perderet, nec adduci possent, ut Jesu Christo renunciarent, ossa Pauli Episcopi, ante Biennium defuncti, cremari jubet, accenso ingenti rogo omnes Presbyteros, Monachos, & Sanctimoniales in flammam injicit, Aretham Civitatis Præfectum Virum senectute venerabilem, plurimos ex plebe, atque etiam

Sæculum VI. A. C. 523. etiam fœminas, capite truncat, tandem
 que utriusque sexus juvenes captivos ab-
 ducit. Ecclesia Martyrum simul omnium
 sub *Dunaan* Principe igne consumptorum
 memoriam colit 27. Julii, & nomi-
 natim S. Arethæ 24. Octobr. Præterea
 memorantur trecenti quadraginta alii
 Martyres ex urbe *Nagran*, & quædam
 Mulier, cujus filius quinquennis pueru-
 lus in ignem, ubi Mater erat, Jesum Chri-
 stum confessus insiliit.

Mart. Rom.
 27. Jul. &
 24. Octobr.

Anno sequente 523. *Elesbaan* Rex
Auxumæ in *Æthiopia* Religionis Chri-
 stianæ Cultor zelosissimus, *Dounouas* jam
 prius infensus, a *Justino* Imperatore ex-
 citatus, atque *Ægypti* Orientisque viri-
 bus subnixus Regem *Judæum* terra ma-
 rique invasit, captum cum propinquo-
 rum carissimis interfecit, totum ipsius
 Regnum in Potestatem suam redegit, &
 tandem relicta corona Monachum in-
 duit. Arabes narrant *Dounouas*, cum
Abyssini seu *Æthiopes* imminerent, sub-
 ditis equo calcaribus in ma-
 re sese præcipi-
 tasse.



HISTO.